3015

Matthias Schötte,

De Origine


Gentis Danicæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

No. 3015.



M. Fischer fecit

=LN 1486
ex. 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

DE ORIGINE GENTIS DANICAE,

ET IIS POPVLIS, QVI CIMBRI-CAM CHERSONESVM, AC IN OCE-*ano & ad mare Balthicum terras, inclyto Regi Danico ſubiectas, aliquando incoluerunt, com-mentariolus,*

SCRIPTVS A QVODAM, EX IIS *locis oriundo, Scholaſtico in Academia VVitebergenſi,*

MATTHIA SCHOTTE.

πάντα τῆς ἐπιμελείας δοῦλα γίνεται.

VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

ANNO M. D. LXVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

REVERENDISSIMO ET REVERENDIS, NOBILITATE GENERIS, PIEtate, ſapientia, virtute & dignitate præſtantiſſ: viris, Dominis ampliſſimis. Dn. Chiliano Iulio, Cathedralis Eccleſiæ Vuiburgi Epiſcopo, Dn. Antonio Bruſcke eiuſdem Eccleſiæ præpoſito, & regni Danici Cancellario. Dn. Iohanni Skogaardt Archidiacono, & Secretario regio. Dn. Abſoloni Iulio Canonico, & Prætorij Daniæ præfecto. Ac uniuerſo Collegio Capituli Vuiburgenſis, ſuis Dominis & Patronis perpetua obſeruantia colendis.

S. D.

LAVDATVR CATO *quòd libros de originibus, quibus ueterum monumentorum Italiæ primordia retexebat, conſcripſerit. Non minus ſanè noſtræ ætatis eruditi homines laudis merentur, qui ſumma uigilantia & ſtudio hoc agunt, ut quiſque ſuæ gentis, id eſt, popularium & ciuium ſuorum ortum atq; migrationes perſcrutetur & patefaciat, quæ opera eſt perdifficilis, quod pleraq; ſint fabulis inuoluta, neq; tamen ſtrenuè hac in parte*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

multi ingenijs præſtantes uiri laborare omiſe-re, ut ueritatem inquirerent & ſuæ unuſ-quisq; patriæ operam nauaret. Cum hoc quidem omnino admirabile uideatur, quomodo in tam multiplicibus & longis gentium migrationibus perueſtigari aliquid certi poßit. Et fit ſanè hac de cauſſa, ut magna ſit inter hiſtoricos noſtros hac de re ſententiarum & coniecturarum diſ-crepantia, alijs alias gentes ex propioribus, alijs ex remotioribus locis producentibus. Vt cum aliqui complures gentes ex Arctoa mundi parte, quæ in ueterem Germaniam irruperunt, propul ſas arbitrantur: aliqui longè remotiora loca no-minant, Aſiæ nimirum, quæ primas earum ſedes antiquitus fuiſſe affirmant. Quorum tamen neu-tri à uero aberrant: Cum quidem in Aſia pri-mum quasq; procreatas & editas extra contro-uerſiam ſit. Deinde uerò ab alijs immanioribus & truculentioribus pulſas, ſubmotasq; paulatim in Aquilonarem hanc mundi plagam deueniſſe non minus ſit liquidum. Cum itaq; tot & tanta diuerſarum gentium agmina, huc ex Aſia infuſa, & nunc hæc, nunc illa obtinuiſſe loca conſtet, pauca quædam de caußis illarum triſtium & ca-lamitoſarum migrationum præfari placet. Poſſet enim quis audiens, ex tam longinquis terris tot populos prodijſſe & in has oras migraſſe, quæ-rere animo ſuo, quid in cauſſa eſſe exiſtiman-

dum ſit

dum ſit, cur in tam periculoſas profectiones ſe demiſerint, & alienas ingreßi regiones eas uaſtauerint, Reges & uniuerſos populos ſua multitudine opprimentes, ſedibus expulerint, illasq́; occupârint. Moſes in ſua hiſtoria peccatum cauſſam peregrinationum eſſe ſignificat, quando dominus Caino, poſtquam fratri Abeli manus intulerat, minitatur, profugum in terra futurum, mox enim ſubijcit, Egreſſum à facie domini, profugum ad ortum conceßiſſe, in terraq́; Eden habitaſſe, deinceps idem docet, ubi inſanas extractiones primæ ætatis hominum deſcribit. Nam cum conueniſſent ut urbem & turrim immenſæ altitudinis ædificarent, quo fama ad poſteros propagaretur, offenſus Deus, hos conatus irritos fecit, linguarum confuſione immiſſa, cum antè unum idemq́; ſermonis genus apud omnes fuiſſet, idcirco ab opere deſiſtere coacti à domino in diuerſas orbis partes diſperſi ſunt. Has primas inuenimus peregrinationes, cum ſcilicet terra adhuc inculta eſſet, nec alibi habitata, ideo nullam uim uſquam ad alios uſurpare, aut quenquam ſede ſua pellere potuerunt, ſed loca uacua occupârunt. Hanc autem principalem & genuinam cauſſam ſemper in conſpectu habere utile eſt, & cum ea deinde alias coniungere. Huc referendum ſapientißimi regis grauißimum dictum, quo tanquam Epiphonemate

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

mate quodam, præcipuas mutationum in imperijs cauſas euidentiſsimè oſtendit, βασιλέια inquit, ἀπ' ἔθνους εἰς ἔθνους μετάγεται δι' ἀδικίας καὶ ὕβριν καὶ χρήματα δολία. Porro Liuius ſcriptum reliquit, fama traditum eſſe, Gallos frugum dulcedine, inprimis uini noua uoluptate captos, Alpes tranſiſſe, Agrosq; ab Hetruſcis antè cultos occupaſſe, & importaſſe in Galliam uinum, alliciendæ gentis cauſſa. Narrat autem eodem loco, annis ante Cluſinam expugnationem ducentis, Gallos Alpes tranſcendiſſe, atq; cum Inalpinis gentibus pugnaſſe, non igitur ueri diſsimile eſt, uberiores et opulentiores quærendi terras gratia gentes egenas adductas, peregrinationibus uacaſſe, quemadmodum de Gallis iam eſt dictum. Idem de illis iudicandum, qui ex horrido aquilonis ſolo in fertiliora eruperunt. Quamuis, ut iam declarauimus, alijs etiam rebus interdum coacti ſunt. Nam aliquando urſerunt eos barbaræ gentes ceruicibus ipſorum imminentes, copijs infinitæ, moribus feroces, linguis diuerſæ, quas per uaſtiſsimas illas orientis ſolitudines aſsiduè peruagari ac ſedes ſubinde migrationibus uiolentiſſimis transferre ſoliti, Tartaricæ in Europam & minorem Aſiam irruptiones demonſtrant. Tartari enim Gottos ex Scythia patria expulerunt, qui alienas deinde regiones inuaſerunt & occupa-

3015

occupârunt. Sunt præterea quos inquieta natura ad eiuſmodi itinera & pericula ultrò ſubeunda compulerit, ſicut de Sueuis alijsq; Germaniæ populis C. Cæſar tradit. Poſtremò excreſcente in nimiam multitudinem uno in loco gente aliqua, ſæpe factum eſt ut ad patriam terram alleuandam, quæ alere uniuerſos non poſſet aut ſedem præbere omnibus, per migrationes, quaſi colonias, in alienas terras educerent, etſi hoc ad migrationes eas, quas indigentia commouet, referri poteſt. Quæ cauſſæ in omnibus gentium migrationibus tenendæ & conſiderandæ ſunt, ne temere gentes ad migrationes concitas & agitatas cogitemus. Vt uerò cauſſas haſce noſſe homine dignum eſt, ita non minus decet migrationes ipſas, & origines atq; incrementa gentium perſpecta habere. Inprimis autem, quoniam nec uniuerſas hominis memoria capere nec induſtria exquirere poteſt, ſeuocanda mens eſt ad quarundam inſigniorum in hoc genere ſcrutationem, quales ſunt migrationes eæ, quibus commemorabiles mutationes in imperia ſunt inuectæ, ut Sarracenorum, Hunnorum, Turcorum, Gottorum, Teutonum, Alemanorum. Poſtea etiam par eſt, ut omnium accuratiſsimè et ſtudioſiſsimè unuſquisq; patriæ gentis & popularium ſuorum ortus & migrationes inquirat. Quid enim turpius & homine indignius quàm

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

ſeipſum non agnoſcere, ſuorumq́; ortũ ignorare? His igitur alijsq́; pluribus de cauſsis permotus, aliquando de ueriore & probabiliore noſtræ Danicæ gentis origine, hactenus etiam (niſi fallor) multis incognita perquirenda, laborandum cenſui: Cumq́; mihi in hoc incumbenti non futilis ea neq́; ludicra res uideretur atq; opera eiuſmodi, quam doctis probatam iri conſiderem, de hac mea exigua lucubratione edenda conſilium cepi, ad quod cum me ſeriò etiam quidam meorum familiarium cohortarentur, quibus alioqui non repugnare ſolerem, facilè apud me hoc obtinuerunt. Apparent igitur Generoſiſs. Clariſsimiq́; uiri ueſtro nomine & auſpicijs hæ noſtri ſtudij primitiæ, quas multis de cauſsis uobis quaſi dedicandas & conſecrandas exiſtimaui. Maximè autem ob ſingulares animi ac ingenij dotes & diuinæ uirtutis memorabilia documenta, quæ perpetuò tanquam lucidæ quædam gemmæ in uobis enituerunt. Loquitur hoc Antonij Brůske, ut T. E. primùm compellem, Ampliſsimum Cancellariatus munus, quod iam ad annos aliquot ſumma cum manſuetudine, auctoritate, prudentia ac laude immortali geſsiſti. Et non tantùm Regia & politica negotia, quæ munus tuum poſtulat, adminiſtras: Sed & ut priuata Ciuium tuorum ſalutarem ſortiantur exitum, diligenter laboras. Deniq́; non modo iſta-

rum

rum rerum tanta te cura tangit, tantæq; uigiliæ exercent, uerumetiam Eccleſiaſtica & ad diuinas religionisq; res pertinentia negocia maiori tibi curæ eſſe nomen et officium, quo in Eccleſia Cathedrali perfungeris, non obſcurè declarat. In eundem chorum cooptatus tu Iohannes Skougaardt parem in diuinis ac politicis cauſsis operam præſtas, magnaq; celebritate & nominis exiſtimatione in regia curia uerſaris, cùm ſecreta regis & regni aliarumq; controuerſiarũ tuæ fidei, æquitati, & integritati committantur, tum etiam quoscunq; uel infimæ ſortis homines ueſtræ opis & conſilij indigentes, ſingulari humanitate ſummaq; beneuolentia, quæ in tantis uiris incredibilis ac diuina uirtus eſt, complecteris. Quapropter quò minus certa eſt hominum ætas, ac minus diuturna uita, hoc magis reſpub. Danica dum licet, frui debet ſummi hominis uita atq; uirtute. Conſociatus his tantis patriæ luminibus Abſolon Iuli, æquè ut illi regijs ſacrisq; rebus operã impendis, Studia literarum tueris, curas, & iuuas. Sed multo illuſtrior tua uirtus in ſacroſancto iuſticiæ prætorio elucet, in quo ius æquabiliter dicis. Quid? quod omnis tua uita, iuris præceptis reſpondet, quæ Iuſtinianus quidem in Iuriſconſulto requirit. Præter hæc patriorum inſtitutorum & morum peritiſsimum te in controuerſijs deci-

 dendis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

dendis & dirimendis oſtendis, fortiſſimumq́; Iuticæ gentis populum admiranda ſapientia, & grauitate moderaris & flectis. In hac uirorum præſtantiſſimorum, patriæ noſtræ decorum & ornamentorum, commemoratione etiam te uir Reuerendiſſime Chiliane Iuli appellandum par eſſe iudicaui, cuius conſtantia, uigilijs ac donis miniſterium & uerbum incorruptum Eccleſia Danica retinuit, latiusq́; propagauit. Ac filium Dei ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ἡμῶν, toto pectore oro, ut is uenerandam ætatem tuam patriæ incolumem ad ampliorem uerbi ſui propagationem, conſeruet, unà cum collegis tuis omnibus, Pietate, Doctrina & uirtutibus uiris ornatiſſimis, & Capituli VVıburgenſis Canonicis dignißimis. D. Martino Huas. D. Olao Nicolai. M. Petro Theodgari. D. Remero Butzeri. M. Nicolao Seuerini. M. Iohanni Block. D. Chriſtophoro, in aula inclytæ Reginæ Daniæ eloquiorum Diuinorum præcone fideliſſimo, meis Dominis ſemper ſumma Reuerentia colendis. Veſtras igitur uirtutes ac dotes uiri Generoſiſſimi & Clariſſimi, cum conſidero ac mente intueor, maiora quidem uobis deberi intelligo, imò nihil niſi perfectum ingenio & elaboratum induſtria adferri oportere ſtatuo. Sed tamen propter ſingularem beneuolentiam ueſtram, & propenſam uoluntatem erga literarum, popula-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

res inprimis ueſtros, ſtudioſos, omni uerecundia depoſita, non dubitaui uobis hoc qualecunq; (ſi modo ſic appellare licet) munuſculum offerre. Idq; ſenſi me ueſtro Collegio debere, ſiquidem apud uos educatus, in ueræ religionis initijs informatus, alijsq; præſidijs adiutus fui: tum etiam quoniam omnes ſtudiorum meorum fructus ueſtros indicaui. Obſequentem igitur meum uobis animum, memoriamq; omnium officiorum hactenus præſtitorum hac mea opella teſtificari uolui. Benè ac feliciter Valete, & conatum hunc boni conſulite, ſtudijsq; noſtris, ut facitis, fauete. Vuiterbergæ III. Cal. Iulij Anno à Virgineo partu 1566.

Veſtræ Amplitud. obſeruantiß. Cliens,

Matthias Schötthe
Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

DE ANTIQVISSIMO Danorum ortu ſeu primordijs explicatio dilucida, vbi etiam de incolis Danicæ regionis prioribus, Cimbris nimirum, breuiter exponitur.

NON *INIVRIA QVAE*rat aliquis, cur tam parci & modici, etiam dubĳ, ſibiq́ non conſtantes ſuperiorum temporum ſcriptores, qui ad hiſtorias gentium literis commendandas aſpirârunt, in earũ originibus exquirendis fuerint: aliqui tamen, pudore deterriti uidentur, quòd fabulis implicata eſſe pleraq́ animaduerterent, ideoq́ attingere nollent. Alĳ uerò omnibus præſidĳs deſtituti, interim à figmentis non abhorrentes, meras nugas & aniles ineptias diuulgârunt. Sed ut alĳs in diſciplinis mirificè prior ætas cæcutĳt, ita ſummopere in gentium primordĳs hallucinata eſt. Cuius rei exempla non tantum hiſtoriarum monumenta, ſed & ipſi annales nationum ualde mendaces & nugatorĳ abundè oſtendunt, quorum ſcriptores

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

ſcriptores plerunq; fuerunt monachi, qui cum eſſent indoctiſſimi, ſoli tamen in opinione doctrinæ fuerunt illis temporibus, & doctorum nomen & operas ſibi uendicârunt.

De nullis autem maior eſt ignoratio, quàm his aliquot populis Aquilonaribus, in occaſum parumper deflexis, qui quidem has coniunctas regiones, quæ ſtante Romano regno, Imperij occidentis nomine appellatæ ſunt, in hunc fermè diem uſq; incoluerunt. Conſtat autem, mutato regni ſtatu & ſede, omniq; dignitate imperatoria Byzantium translata, non tantùm externas gentes, vt Gottos ex Thracia primùm in Galliam, deinde ex Pannonia in Italiam irrupiſſe, Hunnos cum immenſis Barbarorum copijs Germaniam, Galliam & Italiam peruaſtaſſe, Pannoniamq; oppreſſis Gottis occupaſſe: Sed & ex corpore Imperij, quod nominamus occidentis, præſertim Germania, excitos Burgundos, paulùlumq; ante hos, Francos, qui Galliam infeſtârunt, Cattos et Alanos, Sueuos et Vandalos, qui in Hiſpaniam traiecerunt. Vandalos uerò ex hac Gottorum aſſiduis inſectationibus eiectos in Africam tranſmiſiſſe, ibiq; regnum ampliſſimum opulentiſſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

lentiſſimumq́ excitaſſe: Rugos Odoacro duce Italiam populatos eſſe, Longobardos exciſis Gottis eiuſdem non exiguam partem diripuiſſe & obtinuiſſe. De harum gentium eruptionibus, cùm literis ſint conſignatæ, itemq́ initĳs, non tantoperè quæritur, quàm ortu earum, quæ ante hanc imperĳ mutationem in has terras inuolârunt. Quod vt rectius apertiuſq́ intelligatur totum negocium à capite arceſſam.

Fugit neminem cum uel diuinæ literæ ſatis conteſtentur, primos homines & humani generis parentes procul in oriente ſatos eorundemq́ poſteros ĳſdem in terræ partibus uitam traduxiſſe. Similiter Noachi filios Aſiæ terminos non egreſſos, atq́ Nimrodum Babylonicum regnum inchoaſſe, populumq́ qui tum ĳs in locis, non ualdè copioſus late'ue diſperſus fuit, gubernationi ſuæ ſubegiſſe. Poſt deinde aliquot ſecula cùm mirabiliter genus humanum multiplicatum eſſet, longiuſq́ per orbem terrarum diffuſum, Potentia gens Perſarum & Medorum adaucta & confirmata, ereptam Aſſyrĳs Monarchiam ſibi uindicauit, Hinc cum etiam ex Aſia in Europam progreſſi populi, paulatim mul-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

titudine creuiſſent, roboreq; ſuis auctoribus nihil concederent: tandem decreto diuino etiam ex Aſia in Europã ad Alexandrum, eiusq; aliquot poſteros imperij ſumma eſt delata. Et ſic ad extremum cum occidenti ſoli propinquior Europa colono frequens habitatetur, Romani rerum potiti ſunt: Vt ſic vnà cum gentibus ipſis ab Oriente in Occidentem propulſis & ſubmotis, etiam imperij dignitas ſeſe ab una ad aliam gentem commouerit. Vnde hoc æternum Dei præpotentis fuiſſe decretum non obſcurè liquet, cum in poſtremo ſummo imperio, nempe Romano, mundi fore finem prædictum ſit, etiam uniuerſum orbem habitabilem prius ab omni parte cultoribus abundare debuiſſe. Vt autem ad rem ueniamus, cùm nemo ambiguum habere poſſit, primos homines cum ſua poſteritate locatos fuiſſe ad ortum ſolis, hæcq; ſolem occidentem loca ſpectantia, uacua, inculta & horrida extitiſſe, neceſſe eſt vt quicunq; hoc tempore in hac plaga commorantur, ex Aſia, quippe quæ fæcunda mater, infinita populorum agmina procreauit, educamus.

Hîc autem nunc multorum ſcriptorum ſagacitatem, iudicium & circumſpectio-

nem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

nem contemplari & conſiderare licet: cum nonnullis ne quidem in mentem uenerit ut ſuſpicari inciperent ut tantũ quod ante pedes fuit, ſicut lippi, deprehenderunt, longiuſq; cogitationes abducere, ut illi aciem oculorum, non potuerunt. Contrà uerò aliqui glorioſa & tumida potius, quàm uera primordia quærentes, à ſcopo, ut dicitur, uolentes aberrârunt. Quapropter multi multas Germaniæ gentes in eius quaſi uiſceribus natas ſuſpicantur: Nonnulli, quibus abſurdum hoc uiſum fuit, aliunde primordia quærenda exiſtimârunt. Sed cùm hiſtoriarum non ſatis periti eſſent, ſua quædam commenta vulgo obtruſerunt. His verò modeſtiores, ſobrièque in tantis inuolucris uerſandum arbitrati, alij, potius uel ſilentio prorſus prætereundas, vel tenuiter attingendas origines putârunt, vt ſi aliquando quid opus eſſet ab ipſis non eſſet dictum, verecundia omnem culpam excuſârent.

Iam verò tot amplas gentes in hiſce locis natas ſomniare ridiculum eſt, cùm anteà probauerimus, Aſiam primos homines genuiſſe, indeq; propter multitudinem pedetentim ſobolem ad Europæ limites conceſſiſſe, longiusq; in has oras immigraſſe.

Quocirca

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

Quocirca laudandum eſt eorum ſtudium & conatus, qui quidem in originibus his ſcrutandis ad Aſiatica cogitationes tradu-xêre: Quòd verò hoc caſu nonnunquam fabuloſa pro veris amplexi ſunt, eſt quòd propter ſeculi ruditatem & infœlicitatem lapſioni venia detur. Minimè autem audiendi ſunt illi, quos religio quædam ab hac inquiſitione abduxit & auocauit. Venia autem ſunt digniſſimi ij, qui incerti & ambigui, aſſeuerationes cohibuerunt, maiorumque ſuorum narrationibus acquieuerunt.

Tota hæc res vno exemplo explicari poteſt: de vnica namque gente diſcrepantes atque contrarias, etiã hiſtoricorum ſententias animaduertere licet. Sumamus primùm Saxonicam, in cuius ortu perueſtigando autores vehementer ſe cruciant. Complures aduenam quidem eſſe conſentiunt, ſed ex qua terrarum plaga prodierint, diſſentiunt. Pauci, quorum Crantius princeps eſt, Germaniæ indigenam aſſeuerant, cùm non poſſit eſſe dubium, quin aliundè applicuerint, vel à Saſſonibus vel Sacis, diſſitis in Aſia gentibus, teſte Ptolemæo, disiunctis, propagati ſint. Similiter in Francorum origine pugnatur, quos, vt hodie doctorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

ſumma conſenſio eſt, Germania progenuit, ſed imperiti ex Sicambria, quàm apud Mæotidas paludes iacere aniliter fabulantur, ortum eorum deducunt. Deniq; ut in altum, è quo liberum curſum nauis noſtra conſequatur, prouehamur, Danicæ gentis origo hactenus multis ignota fuit, quodq; obſcurior uideretur à pauciſſimis quicquam, in ea explicanda attentatum, aut operæ nauatum, præterquam Saxone Silandico, Grammatico laudatiſſimo, et nunquam interituro rerum Danicarum ſcriptore, quia maioribus ſine dubio edoctus, eorumq; opinione conquieſcens, quod ij pro certo habuerunt, impugnare uel improbare erubuit, ideoq; non tanquam aliunde aduecti in inſulas illas eſſent, ſed quaſi in ijs procreati & ſuſcepti, nomen eorum à Dano quodam ipſorum primo rege deriuat. Meminiſſe autem eum (vt fert opinio mea) oportebat, non tàm de nomine, eiusq; origine, quàm ipſius gentis quæri. Nec enim de primordijs eorum percontanti ſatisfit, ſi reſpondeatur à Dano nomen habere. Animus namq; ſcrutans & inquirens in rem, etiam ſcire deſiderat, vnde uel quo pacto in illas terras peruenerint, ſeu utrum inſultæ, tanquam

3015

ſpumam mare, ipſos produxerint. Nihil autem explorati ab aliarũ gentiũ ſcriptoribus de ipſis memoriæ traditum, quid mirum? Cùm ultima ad Arcton inſula à nemine luſtrata & peragrata fuerit, Atq; ita de ſtatu ac ratione gentis nihil cognitum ulli habuerint. Tum etiam, quoniam in extera gente, (quæ quãquam haud obſcura, origo tamen eius non ſatis aperta) operam cum laude collocari non poſſe exiſtimârunt. In promptu præterea cauſa eſt, cur noſtræ patriæ homines de ſuæ gentis antiquitatibus tam modicè ſcripſerint: Quia ſerius, ut & Saxo in proœmio hiſtoriæ Danicæ ait, Romanæ lingnæ uſum acceperunt.

Cùm itaq; intermortuas iam literas obruiſſet barbaries, nihil latinè & eruditè ab his ſcribi potuit, poſtquam tamen ſcribere poſſe cœperunt magis rerum geſtarum annales collegerunt, qaum ut gentium origines & migrationes inquirerent. Vt igitur certiora populares noſtri, de ſuorum maiorum ortu, in conſpectu haberent, non grauatim in me recepi quædam de prima & uetuſtiſſima gentis noſtræ origine colligere in lucemq; emittere, quem noſtrum laborem nec utilitatis expertem, neq; ingratum pleriſq; fore ſperamus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Vt autem tota res certa via et ratione procedat. Primùm quæremus qui nam populi ante eos, quos hodie Danos uocamus, in Cherſoneſo Oceani & uicinia illa ad Balthicum Mare ſedem habuerint, unde aduenerint, & quo modo, & à quibus ſiue inde expulſi, ſiue ſubacti ſint. Poſteà Dani qui ſint & de horum ortu & migratione videbimus.

Ante Danorum, in hac ora maritima inquilinatum, Cimbri, gens ampla & fortis, ab hiſtoricis celebrantur. Quos illas inſulas obtinuiſſe, nomẽ etiam Cimbricæ Cherſoneſi, quod hodie illis locis tribuitur, reliquum demonſtrat. Quin & magnam continentis partẽ hos incoluiſſe ex Taciti, Ptolomæi aliorumq; deſcriptionibus liquet. Strabo in ſeptimo Geographiæ ſecutus Poſidoniũ, ab his Cimerÿ Boſphori nomen manaſſe ſcribit, quod non uidetur conſentaneum. Poſtquam enim antiquiorum aliquot ineptas narrationes, de diſceſſu ex inſulis atq; ad latrocinia conuerſione, attigit, autoritateq; Poſidonÿ refutauit, huius ſententiæ uerba ſubÿcit: Nec malè profectò coniecturam facit, Poſidonius, quòd latrocinãdo incertis vagantes ſedibus, Cimbri ad paludem uſq; Mœotin

otin militiam agitârint. Ab eis enim Cimmerius vocatus eſt Boſphorus quaſi Cimbricus, cùm græcorum lingua Cimmerios Cimbros nominent. Cimbros igitur, quòd militatum tam longè profecti ſint, nomen Cimmerio Boſphoro impoſuiſſe credidit. Locum autem Strabonis non poſſe de Cimmerijs Aſiaticis accipi hæc duo argumenta coarguunt. Primum quòd nominatim de Germanicis gentibus in ea parte verba faciat, deq; Cimbris, non externis, loquatur. Deinde quòd Aſiatici non Cimbri ſed Cimmerij, ut mox probabimus, in hiſtorijs appellentur. Sed contentus, Poſidonij coniectura, vlterius in rem non inquiſiuit.

Multò uerò concinniùs & probabiliùs appellatio Cimmerij Boſphori ab ipſis Cimmerijs, & poſtea ab his Cimbrica gens deducitur. Herodotus in primo memorat Cimmerios ſuis expulſos ſedibus in Aſiam tranſcendiſſe, Sardesq; expugnaſſe, excepta arce. Rurſus ex Aſia Haliatten extermінaſſe. Eodem libro vbi de regibus Medorum ſcribit, Cimmerios à Scythis ex Europa in Aſiam pulſos docet, Sed rem totam apertiùs luculentiusq; in quarto exponit, vbi primum cis Araxen fluuium

eorum ſedes collocat. Deinde Scythas diuturnis bellis & iniurijs Maſſagetarum fractos & defatigatos, Araxe tranſmiſſo in Cimmeria conſediſſe tradit. Ea namq; regio, quam Scythæ poſtea tenuerunt, Cimmeriorum fuiſſe fertur, Id quod certis ex antiquitate reliquiarum quaſi veſtigijs probat. Sua enim ætate in illa recens occupata Scythia muros Cimmerios, & Portoria Cimmeria, & locum quendam cui nomen Cimmerio, Itemq; Boſphorum, qui Cimmerius dicatur, ſuperfuiſſe affirmat. Quæ Herodoti narratio aduerſatur Poſidonij et Strabonis coniecturis: Neq; enim Herodotus à Cimbris Cimmerium Boſphorum, ſed ab ipſis Cimmerijs deducit, qui ab Halyatte Lydorum rege, ſicuti antea diximus, repulſi, ſine dubio in Europam commigrarunt, in Germaniamq; deuenerunt.

Valdè porrò conſentaneum eſt nomen Cimmeriorum à Gomer filio Iaphet deſcendere. A Poſteris enim Noachi ſicut gentes ipſæ, ita etiam nomina harum propagatæ ſunt. Ex oriente itaq; Cimmerios paulatim progreſſos, ad hoc noſtrum Balthici maris littus appuliſſe, Cimbricamq; Cherſoneſum condidiſſe, omniũ eſt ueriſimilimum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

milimum, cùm, ut alibi diximus, hæc loca initio inculta, ſuos ex Aſia alijsq́ terris colonos receperint. Neq́ enim tantùm Cimmerij in hanc plagam commigrarunt, ſed & aliæ his coniunctæ gentes, vt Caucones, qui Caucorum parentes ſunt, exemplum Cimbrorum imitatæ, quarum quædam longo locorum interuallo, quædã breuiore eos inſecutæ ſunt, ut ſuis locis mouebitur.

Hoc itaq́ pacto prima origine, quam & veteres ſcriptores non uidẽtur improbare, diſcuſſa, poſtulat locus vt & de moribus & ſtudijs, quæ domi foriſq́ coluerunt, pauca dicamus.

Dixi paulò ſuprà Strabonem quorundam referre & perſtringere frigidas, ſed tamen facetas opiniones de Cimbris, qua ratione adducti latrocinijs vacauerint, propter inauditam ſcilicet eluuionem maris, habitata domicilia liquiſſe, cùm tamen adhuc ea teneant, Item arma aduerſus inundationes ſumpſiſſe. Adhæc cùm pelagi proſpiciant reciprocationem ſeu impetum, quod Clitarchus ſenſit, equis inſidentes equorum concitato curſu retro fugere, atq́ inter fugiendum non longè abeſſe quin aquis apprehendantur. Sed quæ eo in loco

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Strabo ſiue de ſua ſiue aliorum ſententia ſcribit, de cauſſis migrationum gentis Cimbricæ, faceta magis ſunt, quàm ut pro certis accipi poſſint. Etiam Poſidonij, quam ſupponit ſententiam, antea ex Herodoto refellimus. Nihil itaq; neceſſe habuerunt veteres illi fabulas comminiſci, quibus populorum mores & ſtudia oſtentarent. Dominandi enim cupiditas & ferocia, & hos & pleraſq; alias gentes commouit vt alienas terras inuaderent. Quamobrem eiuſmodi commentis aſſentiri non poſſum, ſed ſimpliciter ſtatuo, innata quadam ad belligerandum procliuitate alios bello laceſſere occepiſſe.

Romanos autem, vti literis proditum eſt, primùm vnà cum Teutonis uicinis, armis & bello infeſtârunt, valdeq; formidabiles Romano imperio fuerunt, quemadmodum graues narrationes, quæ apud Velleium, Tacitum, Florum alioſq; extant, conteſtantur. Ac tanti eius gentis memoriam facit Tacitus, vt nominatim annum aſſcripſerit; Sexcenteſimum, inquit, & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cùm primùm Cimbrorum ſunt audita arma. Cæcilio Metello & Papirio Carbone Coſſ. Vbi multa præclarè

clarè in laudem eorum diſſeruntur. Nihil ab hoc diſſidet Paterculus, qui Tiberio regnante vixit, eiuſdemq́ præfectus equitum fuit, de Metellis fratribus loquens, qui vno die Triumpharint: Tum ait, Cimbri & Teutoni tranſcendere Rhenum, multis mox noſtris ſuisq́ cladibus nobiles.

Quæ verò Teutonibus et Germanis cauſæ Galliam captandi fuerint, Cerialis apud Tacitum, his uerbis indicat: Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias libido atq́ auaricia & mutandæ ſedis amor, vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum noſq́ ipſos poſſiderent. Hinc Beatus Rhenanus, Cimbros Teutonoſq́ è Germania veteri in Galliam bonitate agri illectos autumat, auitarum nimirum ſedium ad mare Germanicū propè Saxonas pertæſos: Proinde facto per Chaucos & Friſios itinere trans Rhenum, in vltimis Galliarum conſediſſe. Ex quibus cur citius excedere coacti ſint, Florus exponit: quod ſcilicet Oceanus ipſorum terras inundârit, quod multi perperam de patrijs ad mare Germanicum ſedibus acceperunt. Inde itaq́ mole eluuionis eiecti Galliam peragrârunt ad Rhodanum uſq́, ubi conſidere decreuerant. Inter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

vagandum verò cum illis Tigurini & Ambrones, Gallicæ nationes, & ipſi ſuis laribus expulſæ, nouaſq; ſedes quæritantes, coniunctæ eſſent, virium copiarumq; acceſſione ferociores inſolentioreſq; facti, terram à Romanis Stipendij loco ſibi dari poſtulârunt. Quòd cùm ipſis denegaretur, repulſamq; paſſi eſſent, ferro & armis attentare legatos Romanorum, animum induxerunt. Primùm itaq; Sillanum Coſſ. profligârunt, qui & eodem prælio mortem oppetijt. Ab huius Sillani conſulatu bellum hoc in Annum octauum ad conſulatum Marij quintum, à quo reliqui Cimbrorum, Teutonum & Ambronum conciſi ſunt, productum eſt. Anno ergò urbis Sexcenteſimo quadrageſimo nono, Manlius & Seruilius Cepio proconſules à Cimbris in faucibus Alpium fuſi cæſiq; ſunt, ac ceciderunt ciuium ſociorumq; Romanorum octoginta millia. Anno poſt funeſtam Cepionis pugnam, C. Marius conſul ſecundùm deſignatus eſt, atq; commiſſum eſt ei bellum Cimbricum, de quo ita Velleius: Effuſa immanis vis Germanorum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cepionem Manliumq; Coſſ. & ante Carbonem Sillanumq;

fudiſſent

3015

fudiſſent fugaſſentq́ in Gallijs, & exuiſſent exercitu, Scaurumq́ Aurelium Coſſ: & alios celeberrimi nominis viros trucidaſſent, populus Romanus non alium tantis hoſtibus repellendis magis idoneum Imperatorem quàm Marium, eſt ratus. Tum multiplicati conſulatus eius, Tertius in apparatu belli conſumptus. Quartò trans Alpeis circa aquas ſextias cum Teutonis conflixit, amplius C. L. M. priore, ac poſtero die ab eo trucidatis, gens exciſa Teutonum, Quintò circa Alpes, in campis, quibus nomen erat Raudis, Hæc ex Paterculo. Marius, tamen poſtquam bellum hoc ei demandatum & creditum fuit, non è ueſtigio ſigna contulit, verùm admonitus à quadam vate Martha nomine (quam Melanchthon Iudæam fuiſſe ſuſpicatur) poſt biennium demum cum Teutonibus & Ambronibus ad aquas Sextias, prouinciæ Galliæ oppidum, conflixit, in qua pugna bis centena milia hoſtium ſtrata ſunt, & nonaginta millia capta. Hi in Galliam penetrârunt, cum interim Cimbri per Noricum in Italiam introirent, copias Catuli ab Alpium aditu propellerent, atq́ ad Atheſin fluuium caſtra metarentur. Quò celeriter Marius contendit, ſuumq́ exer-

citum

6

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

citum cum Catuli coniungens, centies quadraginta millia & ſexaginta Cimbrorum ad fines Inſubriæ trucidauit. Huc illa D. Hieronymi oratio pertinet (quamuis nomine Cimbrorum omiſſo de Teutonis loquatur) quando in Epiſtola ad Gerontiam ſcribit his verbis: Gens Teutonum ex ultimis Gallorum, Oceani, atq; Germaniæ profecta littoribus omnem Galliam inundauit, ſæpius cæſis Romanis exercitibus, apud aquas Sextias Mario pugnante, ſuperata eſt. Hanc etiam hiſtoriam Claudiani verſus ad Stiliconem ſpectant:

Sæpe laceßitam ſed non impunè fatemur
Auſoniam, Hæc Senonum reſtinxit ſanguine flãmas.
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla cathenati uidit ſqualentia Cimbri.

Item quod alio loco dicit:

Venit accola ſyluæ
Bructerus Hercyniæ, latiſq; paludibus exit
Cimbrus.

Iam porrò illud ſilentio prætereundum non eſt, ne ex patre Cimbrorum memoriam recoluiſſe videamur, Aduaticos utriuſq; gentis & Cimbrorum & Teutonum

ſobolem

ſobolem eſſe, Iulium Cæſarem, ſcriptum reliquiſſe, Secundo enim Commentariorum præmiſſa Aduaticorum mentione ſupponit: Ipſi erant ex Cimbris Teutoniſq; prognati, qui cum iter in prouinciam noſtram atq; Italiam facerent, his impedimentis, quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex millia hominum vnà reliquerunt. Hi poſt eorum obitum multos annos à finitimis exagitati, cùm aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, conſenſu eorum omnium pace facta, hunc ſibi domicilio locum delegerunt. Quis autem is domicilij locus extiterit, inter eruditos controuerſum eſt. Quidam enim (ſicuti Reimundus Marlianus refert) populis regni Eburonum hodie Leodienſium finitimos, ac Neruijs nunc Tornacenſibus proximos aſſerunt, atq; habuiſſe amplum idq; in præcelſis rupibus oppidum, ſorte nunc, vt quorundam opinio fert, appellatum Beaumont, vicinum Thudunio in finibus Hannoniæ. Eoſdem ex alluſione vocabuli, nonnulli credunt eſſe, qui Donatum Atrebatenſis diæceſis oppidum non longè ab vrbe Cameraco diſtans, incoluit. Atqui probabilior

lior coniectura eſt, quod & Peucerus diſertè affirmat, eos Aduaticos fuiſſe, qui hodierno die Gallicam Brabrantium, vbi oppidum Niuella eſt, partemq; Hannoniæ circa Carmetum montem, & Bintium pida Diæceſis Cameracenſis, finitimaq; his loca extra Francorum regnum, inhabitant, vbi locus quidam in vici formam redactus eſt ferè deſertus, cuius nomen Gallica lingua veteri ſatis alludit, & monumenta adhuc quædam præclara vetuſtatis viſuntur.

Atq; hæc quidem de Cimbris eorum ortu & rebus geſtis probabiliter dici potuerunt. Attendendum interim Cimbros non diuerſam uel diſtinctam à Germanis gentem fuiſſe, id quod vel ex ſocietate cum Teutonis intelligi poteſt: Quin etiam totum illud mare, cuius inſulas coluerunt, Germanicum appellatur. Ex quo conficitur incolas eius etiam Germanos extitiſſe. Etſi porrò his prælijs valdè attriti ac extenuati ſunt, non tamen penitus exciſos ſeu abſumptos quiſquam putabit, cum non ſit dubium aliquos in patrijs reſtitiſſe domicilijs nec ad unum omnes in militiam egreſſos. Nam & poſteriores aliquot ſcriptores eorum in auitis illis locis meminerunt,

3015

runt. Meminit Strabo, Velleius, Tacitus, Ptolemæus, quamuis de Ptolemæo dubitatio oboriri poſſet, quòd eum antiquiorem Chorographiam ſequutum fuiſſe conſtet. Sed numero non parum imminutos in ſequentibus illis temporibus fuiſſe Iudico, cum & Teutonum, quos tamen Ptolemæus nominat, gens, penè obſcurata ac extincta fuerit. Sed vt fit cùm ad interitum tendunt gentes, nec amplius famam priſtinam & nomen tueri poſſunt, aliis potentioribus & valentioribus ſe vltrò ſubiiciunt, & quamuis reliquiæ ſuperſunt, tamen earum potentia & amplitudine quaſi abſorbentur, nomenq; cum celebritate perdunt. Sic ſimul & Teutonis & Cimbris accidiſſe ſuſpicor, penitus enim abſumptos mihi uerisimile fieri non poteſt. Idcirco ſtatuo cùm bellis eſſent fracti, attriti, & numero admodum diminuti, alteri ſeſe genti, quæ recens coaluerat & magnam ſibi potentiam conciliârat, immiſcuiſſe, itaq; nomen cum gloria interiiſſe.

Hæc de Cimbris primis Danici regni habitatoribus. Quibus tamen cõmodi adiungere poſſe videor Saxones quòd & illos quondã Germanici (ab hiſtoriographis ſic appellati) maris inſulas quaſdã incoluiſſe.

Ptolemæus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Ptolemæus prodat. In quinta namq; Europæ tabula, ſupra dorſum, inquit, Cimbricæ Cherſoneſi inſulæ Germaniæ adiacent, iuxta Albis fluuij oſtia tres, Saxonum appellatæ. Significat non longè ab eo loco, quo ſe in mare infundit Albis, has inſulas eſſe ſitas. Eas autem non primum Ptolemæi tempore natas eſſe ſtatuo, ſed multò illius ætate vetuſtiores. Quod ea re admonendum fuit, quia Tacitus neq; Saxonum neq; Saxonicarum inſularum meminit: Fortaſſe quòd propter remotius interuallum non æquè, vt alia Germaniæ propiora loca, cognitæ & perſpectæ eſſent. Atqui Ptolemæus neutram rem prætermiſit, nam & gentem (vt diximus) nominat, & inſulas ſubindicat. Quid autem me permoueat, ut Ptolemæo, tum gentem tum inſulas antiquiores vtiq; decernam, paucis aperiendum eſt. Animaduerto Beatum Rhenanum virum doctiſſimum, non vno loco aſſerere Ptolemæum in ſua Chorographia conſcribenda non ſui temporis rationem ſpectaſſe, ad eamq; direxiſſe: ſed primam & antiquiſſimam Germaniæ deſcriptionem, quæ vnquam Romam perlata fuerit, ſequutum: Video & alios huic ſententiæ aſtipulari, Cur autem hoc pro certo

habendum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

habendum ſit,argumenta oſtendunt. Primùm quod Sicambros, quos Auguſtum Suetonius in Belgicum trans Rhenum duxiſſe narrat, in dextra Rheni ripa collocat, Tum quod & Bructeris,.quos ipſe Buſactores uocat,priſtinas in Vueſtualia ad Amaſis ripas,ſedes aſſignat, Diſtinctionemq́; in maiores & minores inculcat, quos Tacitus,hoc prior ab Angriuarijs & Chamauis eiectos, eorumq́; ab his domicilia & fortunas occupatas tradit. Ac qua ratione quæſò fieri potuit, vt inſulæ iſtæ tam repentè enaſcerentur? genſq́; tam celeriter percrebeſceret, & utrumq́; Tacitum, paulò natu maiorem Ptolemæo, vtpote qui ſub Traiano ſenectæ vicinus ſe ad ſcribendum contulit, fugerit, Ptolemæo verò, qui Tacito poſterior Antonini temporibus floruit, hæc omnia innotuerint, ſintq́; ab eo literis conſignata? Verum Tacitus, ut dixi, obſcuriorem gentem vel quæ, quòd in inſulis lateret, non fuit nota, præterijt, Atqui Ptolemæus ex antiquiori quadam Tabula edoctus Saxonum illas inſulas eſſe prodidit, nec hoc modo, ſed & eorum in continentem eruptionem ſignificare videtur, quando non tantum inſulas attingit, verũ etiam Saxones in ora littorali ponit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Hos autem, vt & alias gentes ex Aſia deducere omnino ratio ſuadet: Et uel vnà cum Cimbris huc appuliſſe, vel non multò poſt inſequutos, illas inſulas occupaſſe non à uero eſt alienum. Videtur uero à Sacis, vt Philippus & Peucerus ſentiunt, quorum Herodotus paſſim, Xenophon in prooemio Pædicæ Cyri inter gentes Perſicas meminere, propagati, uel à Saſſonibus, quos Ptolemæus habet, vel coniunctím à Saſſonibus & Sacis, quoniam idem Ptolemæus non longè diſiunctos regionibus in Aſia prodit. Saxones itaq; primo in Germaniam aduentu partem inſularum incoluiſſe palam eſt. Verùm cum citatus Ptolemæi locus non ijs tantùm inſulas, ſed & continentis partem aſſignet, videor mihi inde ratiocinari non inſcitè poſſe ex mari in terram effuſos, cumq; poſtea rapinarum & belli ſtudio flagrarent: quò expeditius irruptionibus incumberent, ſe in continentem traieciſſe non abſurdum eſt, idq; non diu ante Antonini tempora, quibus Ptolemæus vixit, accidiſſe conſentaneum eſt, cùm circiter idem tempus Dacos illas inſulas inuaſiſſe & oppugnaſſe coniectura probabile ſit. Quinam ergo ſint Daci, à quibus ortum habent Dani, videamus.

Beatus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

J. Beatus Rhenanus libro rerum Germanicarum primo, eos ex inſulis Oceani Germanici in Cimbrorum veterum ſedem veniſſe planum & extra controuerſiam eſſe ſcribit. A quibus Nortmannos, vt & Peucerus, qui Mediomatricum vbi nunc Epiſcopatus Metenſis eſt, fines depopulati ſunt, tandemq́ in propinqua patre Galliæ conſederunt, propugnatos aſſeuerat. Dudo rerum Aquitanicarum, quemadmodum Saxo Grammaticus initio ſuæ hiſtoriæ refert, ſcriptor, Danos à Danais, hoc eſt, Græcis deriuat: fortaſſe illum nominum ſimilitudo & uicinitas, ut id ſtatueret, adduxit, cùm alioqui ratione nulla id affirmari poſſit, & coniectura valde ſit languidum, propterea quòd Danorum, qui à rege ſuo Danao ſic nominati ſunt, nimis vetuſta ſit memoria quàm vt conueniat huic negotio, nã audiuimus hactenus Daniam ante Danos à Cimbris habitatam, poſt quos Danis ceſſit, cum ne forſan in vniuerſa rerum natura Danai eſſent, & ſupra multa ſecula eorum nomen interijſſet atq́ euanuiſſet. Erit itaq́ noſtrarum partium paulò altius & probabilius totam hanc rem exquirere & exponere.

Herodotus in primo, quo gentes Per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

ſicas ad defectionem à Medis ab Cyro ſol-citatas recenſet, Daos prodit. In fine eiuſdem, vbi Cyrum à Maſſagetis confectum memorat, ad Tyram fluuium Tyrigetas collocat. Quin et Dai cum Sacis in exercitu Darij contra Alexandrum fuiſſe traduntur. Ptolemæus in eodem Aſiæ tractu complurium aliarum gentium meminit, quæ veteribus Germanicis appellationibus conſonant. Nam & Saſſones & Syebos ſeu Sueuos & Alanos nominat, & ſub Alanis in Sogdiana, quæ hodie eſt Coraſena ad fluuium Iaxartem collocat partem Maſſagetarum, quos & Sacis admiſcet, & in Margiana coniungit cum Dais ad fluuium Oxum. Ex quibus hoc initio animaduerti & attendi volumus, in Aſia ſemper finitimos & quaſi coniunctos extitiſſe Daos & Getas qui Gotthi poſtea fuere appellati. Dionyſius ad Mæotidem paludem Germanos Dacos (ita enim poſtmodum nominatos vel Getarum & Germanorum ſocietas & coniunctio in ijs locis coarguit. Nā & Germanos Herodotus Perſici regni populum tradidit) & Getas vnà ponit.

τῶ μὲν πρὸς βορέην, πετανυσμένα φῦλα νέμονται,
πολλὰ μάλ' ἑξείης μαιώτιδος εἰς ςόμα λίμνης.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Γερμανόι Σαμάταιτε γέταιθ᾽ ἅμα Βαστάρ-
ναιτε,
Δακῶν δ᾽ ἄσπετος αἶα καὶ ἀλκήεντες Ἀλά-
νοι.

Quos verſus ita latino carmine reddidi:

Longius in Boream loca procurrentia gentes
Complures habitant, Mæotidos ordine ſtagni,
Oſtia nimirum, primum Germanica pubes,
Hinc Samatæq;, Getæq;, deim Baſtarna remotus,
Amplaq; Dacorum regio, fortes & Alani.

Ex quorum auctorum deſcriptione conſequitur ex Aſia paulatim ad Europæ limites vnà cum alijs populis acceſſiſſe. In Aſia namq; Herodotus & Ptolemæus Daos collocant, Dionyſius verò Dacos eoſdem ad lacum Mæoticum commoratos ſcribit. Sed & vtriq; Daci & Gotti diu ambas Iſtri ripas accoluerunt, confines inter ſe, & eadem lingua ſcilicet Germanica, veluti auctor eſt Strabo, vſi. Quod minimè in dubium vocari poteſt, cum de Gottis liquidò conſtet. Primum enim aliquot regum Gotticorum, qui in hiſtorijs paſſim nominantur, nomina docent, veluti in oppugnatione Conſtantinopolis facta à Got-

tis Valentinis dominatu, in qua appellatur dux Fridigernus, hoc eſt, pacis amans et ſtudioſus. Strabo Vuarfeſtum ducem Getarum, qui Romanis temporibus Thraciam depopulatus ſit, prodit, dictum quaſi à ueritate & conſtantia. Similiter Theodoricus in Italiam contra Odoacrum Rugum à Zenone imperatore miſſus ſororem habuit nomine Amelfredam, eiuſque filiam Amelbergam quæ nomina à dictione Germanica HAMEL, quod eſt agnus ſeu aries, veniunt. Nam hoc nomē fuiſſe familiæ Theodorici, quæ ſic à vellere Iaſonis dicta eſt, literis eſt proditum &c. Quin reliquias Gottorum Cherſoneſum Tauricam, quæ non longè diſtat à Conſtantinopoli, Germanicum ſermonem retinere, pleriq; confirmāt. Quod etiam eos ex Colchide in Europam conceſſiſſe coarguit. Sed attriuit & oppreſſit has reliquias Mahometes 2. Imperator Turcarum, duobus eorum cæſis ducibus, qui quidem ſe Gottos dictitarunt & Germanica lingua uſi ſunt. Poſtremò hoc ipſū comprobat Idioma, quod conſeruarunt in hunc vſq; diem Gotti inſulas Arctoi maris habitantes, quos vna cum Dacis illam Septentrionis plagam applicuiſſe dubium non eſt. Nam omnino

corrupta

3015

corrupta Germanica & vernacula, quæ deprauata Teutonica eſt, vtuntur. Planiſſimè ergò demonſtratum eſt Gotticam linguam eandem cum Germanica fuiſſe, quod etiam de noſtra Danica ſentiendum nemo pugnabit, cum finitimi & coniuncti ſocietate belli & migrationum fuerint, cumq́ꝫ Strabo eos ὁμογλώττους ſcribat. Sed & ipſorum dialectus non multum à Saxonica diſcrepat, ita vt non peregrinus ignaruſq́ꝫ eius linguæ in dubium vocare poſſit, utrum hanc noſtra corruptam aut noſtram Saxonica permiſtam, pronunciare velit. Diutius autem Gottos quàm Dacos prope Iſtrum hæſiſſe ex eo confici poſſe videtur, quod Alexander cum Syrmo rege Getico non longè ab inſula Peuce, quæ nota eſt, paululum ſuprà Byzantium dimicaſſe traditur. Lyſimachus item poſtea à rege Getico Dromichete acie uictus & captus ſcribitur. Sed cum poſtea liberaliter eſſet dimiſſus, permiſit vt ad Iſtrum Getæ ſedes haberent, regiq́ꝫ Getarum filiam matrimonio collocauit. Ex Herodoto perſpicuum eſt iam Darij tempore, Getas ad Iſtrum potentes fuiſſe, cum eos ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους θρακῶν, hoc eſt, fortiſſimos & iuſtiſſimos Thracum appellet. Forte tum non uſq́ꝫ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

adeo magna Dacorum virtus fuit celebriorq́ue fuit Getarum vt de illis nominatim dicatur, cum interim nihil ambigam, Getarum ſigna ſequutos Dacos, propterea quod finitimi & haud dubiè fœdere ſociati, tum in migrationibus ſemper coniuncti fuere. Nihil itaq́ue refert nominatim non proditos in iſtis bellis Dacos, cum vtiq́ue ex ſocietate conſtare poſſit, cum Getis in expeditionibus iſtis fuiſſe.

Sedes porrò ſuas Daci obtinuere ad Carpathi radices intra eos montes, qui hodie Tranſyluaniam ambiunt & circumdant, qua hæc ex concluſis vndiq́ue & anguſtis vallibus, in apertam ac patentem Muldauiæ Vuallachiæq́ue planiciem verſus Iſtri ripam Aquilonarem ſeſe expandit. Nomen autem hoc, quod primum fortaſſè obſcurius fuit, Græcis dominantibus, maximè innotuit increbuitq́ue Romanis temporibus, quibus ſoli eos bello laceſſere non reformidârunt ijſdem locis quibus antea conſederant. Factum id eſt principatu Domitiani, quo Decebalus, qui Daciã uicinaſq́ue aliquot regiones tenuit, Romanis bellum fecit. Daciam autem tum dictam quæ nunc eſt partim Tranſyluania partim Vualachia docti, ut modo dixi, arbitrantur.

tur. Hic autem Decebalus, cum ſingularis quædam in eo virtus, vt Dion memorat, eluceret, ad annos ſedecim Romanos exercuit, donec vix tandem à Traiano Imperatore, vt paulò poſt exponemus, reprimeretur.

Domitianus quidem aduerſus eum ſuſcepit expeditionem, hoſtem tamen adortus non eſt, ſed ut fuit crudelis occultator, diffidens, ſuſpicax & inſidiator, obſcenus & rapax, abdidit ſeſe in luſtra libidinum, & multos amicos de medio tolli præcepit. Cumq́ꝫ C. Fuſcus, vt cum hoſte decerneret & confligeret, miſſus eſſet, cum legionibus ſuperatus & conciſus eſt, Cæſar pecunia pace coempta triumphaturus Romam ſe recepit, paſſimq́ꝫ trophæa huius magnificæ victoriæ collocauit. Quapropter Poetæ, cum & poeticæ peritus haberi vellet, ementitis laudibus hanc expeditionem celebrârunt, vt Statius inquit.

Frena tenentem
Rhenus, & attoniti uidit domus ardua Daci.
Item:
Et coniurato deiectos uertice Dacos.

Qui Domitiano ſucceſſit, ut fuit prin-

ceps moderatus & iuſtus Nerua Cocceius, rebus turbatis ſub Domitiano remedium adhibuit, Cumq́ꝫ vltra annum non diu in uiuis ſupereſſet, cum Dacis nihil negotij habuit. At qui hunc excepit Traianus, etſi etiam alijs in bellis ſe præclarè geſſit, maiorem tamen laudem inde conſequutus eſt, quod Decebalum qui, ut diximus, circiter Annos ſedecim Romanos infeſtâ. rat, & recens Iazygas, hodie Tranſyluanos dicimus, vexauerat, debellauit. Diuturnitate namq́ꝫ belli fractus atqꝫ aliquot prælijs deuictus, mortem ſibi ipſi conſciuit. Traianus tum pontem ſupra Iſtrum fabricatus eſt in Bulgaria incredibili & mirando opere. Nec procul inde Nicopolin condidit, ad quam magno prælio victus eſt Sigiſmundi Imperatoris exercitus à Baiazete imperatore Turcico. Pontem à Traiano ſtratum, Adrianus eius ſucceſſor metu & formidine Danicæ potentiæ & animoſitatis deturbauit & diſiecit. Quin ijdem hiſq́ꝫ coniuncti Alani ab Antonino pio repreſſi ſcribuntur. Quæ ſanè bella cum Romanis geſta demonſtrant quàm Gens hæc initiò etiam bellicoſa fuerit, quanta animi magnitudine in ſuis vigilauerit, quantaq́ꝫ aſſiduitate inſtitutum urſerit

3015

ſerit, cum ex ordine ferè quatuor Imperatoribus negotium exhibuerit.

Hoc itaq; ſtudium, hæc conſuetudo belli cum neutiquam in ipſis deferueſceret, ſed in dies magis magiſq; efferueſceret, iamq; cum Romanis aliquot annos aduerſa fortuna decertaſſent, nihilq; ſe Decebalo oppreſſo profecturos proſpexiſſent, maximè veriſimile eſt uerſus occaſum paulatim, iuxta Carpathi iuga ad Sueuicum mare proceſſiſſe, viaq; vi & armis patefacta, ſeu pulſis ac ſubmotis ſeu oppreſſis Sueuis, qui omnem eam regionem, quæ nunc Roſarum, Polonorum, Sileſiorum, Pomeranorum & Marchiæ eſt, perrupiſſe atq; in Germaniam ad littus Balthicum penetraſſe, vbi in Cimbrica Cherſoneſo, & gentem potentiſſimam Danicam & regnum florentiſſimum ac vetuſtiſſimum conſtituerunt. Id autem non multò poſt Antonini imperium accidiſſe iudico, quem poſtremò DACOS fregiſſe audiuimus. Et certè non Dacos tantum ſed & Gottos, quòd perpetuò in Aſia & Europa finitimi & fœdere quaſi iuncti fuere, ad Balthicum mare applicuiſſe ſtatuo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

ſtatuo. Cum id etiam ampliſſimæ eorum coloniæ in Dania & Gottia perſpicuè oſtendant, Hoc autem ferè tempore nouos colonos veterum incolarum nomina in Cimbrica abſorpſiſſe & ſuſtuliſſe, uel ex Ptolemæo patet qui cum Antonino regnante ſcripſerit. Harum gentium illis in locis mentionem non facit, cum non ita multò pòſt ibidem percrebeſcerent. Cuius teſtimonium, ſi cui ſuſpectum fuerit ea re quod ſuprà affirmauerimus antiquiore Chorographia eum uſum, is Taciti auctoritatem non faſtidiat, qui paulò prior eo fuit: Nam neq; is harum gentium meminit, ſed Cimbris illic ſedes aſſignat. Cæterum vterq; Tacitus & Ptolemæus, qui exiguo interuallo illam Dacorum irruptionem anteceſſerunt, Cimbrorum ſedes illic denotant. Quid ergò cogitet aliquis. DANI Cimbros hoſce reliquos excluſerunt, aut penitus oppreſſerunt & exciderunt? Huic abiectioni ſuprà reſponſum eſt. Etſi enim Cimbri in Italia magna clade affecti ſunt, & ad internecionem conciſi, non tamen ad unum omnes patrijs exceſſiſſe domicilijs credere poſſum. Sed aliquem, etſi exiguum numerum domi reſtitiſſe, ſolumq; natale excoluiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

iſſe. Ideoq; ſtatuo cum in Cimbricam Cherſoneſum Daci immenſis copijs irruerent, Cimbros Dacis ceſſiſſe, ſeq; eorum imperio ſubieciſſe, nomineq; recentis ac aduenæ gentis ſe ſalutari paſſos fuiſſe. Hinc enim dubio procul eſt quòd in hunc uſq; diem Dani ſe à Cimbris ortos & propagatos gloriantur, quod non iniuria iactare poſſent, ſi diſtincti tum & Daci & Cimbri finibus & appellationibus regnum auſpicati fuiſſent. Sed quoniam ea Dacorum irruptione permiſti ſunt, nec familiæ diſcretæ, difficulter qui à Cimbris ortum habeant, certò demonſtrari poteſt. Sed ſatis ſit nũc docuiſſe qua ſorte quoquo pacto Cimbricam Cherſoneſum occupârint Daci, Cimbris non tàm extruſis quàm in ſuam ditionem redactis, nec adduci poſſum vt credam Ambronibus vnq; domicilia in Cimbrica Cherſoneſo vel prope fuiſſe. Conſtat enim eos gentem Gallicam fuiſſe atq; unà cum Tigurinis ſeſe Cimbris et Teutonibus in Galliam armata militia iter facientibus coniunxiſſe. Iam itaq; Planè & apertè docuimus qui ſint Dai uel Daci, quibus primum nati terris, Aſia nimirum, quemadmodum ex illa ad Europæ limites aſpirârint, ad

Iſtrum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Iſtrum applicuerint, indeq́ ad littus maris, quod Germanicum dicitur, profecti in iſtas terras inuolârint easq́ occupârint, Dacorumq́ ſeu Danorum (idem namq́ eſt) nomen importârint, Hinc iam in hiſtorijs paſſim vel Daciam vel Daniam nominari reperimus. Quid ergo cauſæ, requirat aliquis, cur hodie non ut ueteres Daniam ſed Danomarchiam, nos inquam non ſolum Dani, ſed & Germani nuncupent? Reſtat igitur vt & hoc inquiramus, atq́ tum operi finem imponamus, nam ita propoſitioni noſtræ ſatisfactum eſſe confidimus.

Perpetuò ad cuſtodiam & defenſionem limitum contra irruptiones exterorum, Imperatores præſidia collocata habuere, id quòd ex non paucis etiam Iuris ciuilis locis conſtat, in quo huius præſidij capita Liminarchæ vocantur, vt in L. Liminarchæ 4. ff. de fugitiuis. L. Munerum 18. ff. de Muner. & honoribus. Sunt autem Liminarchæ qui locis maritimis præſunt, unde traiectus eſt ad exteras nationes: Hos vel potius uniuerſos ſub eo milites, Ariſtotele, Limenophylacas appellat. Non autem à limine & ἀρχὴ dicti ſunt, vt

vulgus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

vulgus ineptit, nec enim ratio admittit,
vt latina dictio græcæ componatur, teſte
Quintiliano, ſed à λιμὴν, quod eſt portus,
& ἀρχὴ principatus quaſi portuum defen-
ſores, ut & Alciato uiſum eſt. Hinc limi-
taneis iſtis militibus, fundi certi fuere de-
ſtinati, è quibus alimenta perciperent,
Limitrophi nominati, de quibus titulus
inſcriptus eſt lib. 11. Codicis 59. quod
videlicet tenerentur eorum poſſeſſores an-
nonam inde prouenientem ad caſtra mili-
tum conuehere, qui in imperij limitibus
aduerſus barbaros excubabant. Hinc li-
mes Orientalis Fl. Vopiſco in Saturnino,
limes Rheticus, eodem auctore in Bonoſo.
Lampridius in Alexandro: Sola, quæ de
hoſtibus rapta ſunt, limitaneis ducibus &
militibus donauit, ita vt eorum eſſent, ſi
hæredes eorum militarent, nec unquam
ad priuatos pertinerent, dicens attentius
eos militaturos, ſi etiam ſua rura defende-
rent. Ex quibus Lampridij uerbis facilè
cognitu eſt, qui ſint agri limitanei, qui at-
tinguntur in L. 3. C. de fundis Limitro-
phis lib. 11. & quemadmodum a limitro-
phis differant, ex his enim alebantur, illi
tanquã proprij illis addicebantur. Fl. Vo-
piſcus in Probo: Accepit ſedecim millia

Tyro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Tyronum, quos limitaneis militibus interſereret. Rufus Feſtus de acceſſione Romani imperij: Impetrauit, inquit, Maximianus ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt iam tum ab initio Imperatores pro limitum defenſione ſolicitos fuiſſe, & præſidijs communiuiſſe. Scire uerò iam oportet limites Danis ſicut & Germanis unica immutata uocali Mercke dici, non ut quidam uolũt equum, qui Marcomanos uiros equeſtres interpretantur, indeq; Marskalck, id eſt, Magiſtrum equitum & quòd noſtra etiam lingua Marckgraffe dicimus, præfectum equitum eſſe dicunt. Quod etſi non usq; adeo inſulſum ſeu abſurdum eſt, rectius tamen, mea quidem ſententia, Peucerus nomen Marcomanorum limitaneos ſignificare ait, quòd ſcilicet limites uerſus Pannoniam & Sarmatiam clauſerunt. In libris feudorum legitur Marcam dictam eſſe, quòd ut plurimum ad mare ſit poſita, quòd quàm proximè ad Limenarchas accedit, quos portuum præfectos fuiſſe diximus. Sed & ipſi Galli interpretes uanum id eſſe animaduerterunt. Nam Fran. Duarenus in libris feudorum uerius à limine dici

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

dici ait. Hinc namq; ſunt, Marckgreffer quaſi comites & præfecti Marcarum, id eſt, limitum, qui complures per extrema Germaniæ verſus ortum & Septentrionem conſtituti poſterioribus Cæſarum temporibus fuere, præſertim ab Henrico Aucupe, qui primum contra Henetos, quos tandem fregerat, Marchiam Brandeburgenſem firmauit. Hoc verò antiquior fuit præfectura Limitanea Sorabis oppoſita, cuius etiam mentio fit in Francorum hiſtoria, de qua Marchiam Landsbergenſem reliquam eſſe docti iudicant. Idem Henricus contra Boiemos, Polonos, & Sileſios condidit Marchias, Miſnenſem & Luſaticam. Gormone etiam Danorum rege deuicto, Marchiam Schleſuigcenſem in Cimbrica Cherſoneſo inſtaurauit, eamq; Danis, Præſidio firmatam, quod ad arma reuertentes cohiberet atq; arceret, oppoſuit. Cum autem poſtea gentes illæ quibus obiectæ hæ Marchiæ fuerant, partim bello ſubigerentur, partim humanitate ad imperij ſocietatem allicerentur, præſidia in illis locis collocari deſierunt, itaq; ferè nomina ipſa interiere vel immutata ſunt. Hoc pacto regio Marchioni Brandeburgenſi ſubiecta Marchiæ nomẽ retinet. à

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Schleſuigcenſi autem uidetur ad Daniæ nominis productionem traductum eſſe. Cum enim antè ſimpliciter Dania nunc Danomarchia appellatur, nec adduci poſſum vt idem quod noſtrates Dannewyrcke nominant, cuius Saxo lib. X. meminit, eſſe exiſtimem, quod eſt munimentum opere Danorum quondam in finibus Holſatiæ extructum. Ad quem laborem eos Thyra primum, quo patriam ab exterorum irruptionibus tutam præſtaret, inuitauit. Itaq; à Sleſuico ad Oceanum obeuntis ſolis vſq; vallo & foſſa finis eſt circumſeptus, quam munitionem poſtea firmiorem Vualdemarus rex, & Abſolon Danicæ gentis Antiſtes, effecere, qui murum cocti lateris antè ſtructo operi ſuperiecere, vt prioris illius valli ſtructura fulciretur potius, quàm temporis ſucceſſu penitus conrueret & deſtrueretur, quamuis non valde impugno ſi quis propter vicinum ſonũ & linguarum differentiam pro eodem haberi exiſtimet.

Hæc habui populares chariſſimi & humaniſſimi, quæ de origine & antiquis dulciſſimæ patriæ noſtræ colonis vobiſcum diſputanda iudicaui, res fuit vt in principio

3015

pio diſſerui, obſcura & multis inuolucris implicita: ideoq́; candidi & ingenui ſicubi rem acu non tetigerimus veniam dabunt. Eruditiorum cenſuram non detrecto, quorum refutatione cùm me in hiſtoriarum cognitione certiorem fieri intelligam, reprehenſionem grato animo feram. Nec enim praue pudens (vt Horatij verbis vtar) malo neſcire, quàm diſcere. Et vt Plato, de legibus, ait, nimium ſui ipſius amorem fugere quemq́; debere ac meliores ſequi nullo rubore verecundiæ impeditum. At uulgi notationes & ſcõmata quia lubrica ſunt nihil moror: Quod ſi igitur intelligentibus & candidis hoc noſtrum ſtudium probatum iri cognouero, meæ expectationi ſatisfactum erit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

IN COMMEN- TARIVM DE PRIMOR- DIIS GENTIS DANICÆ CON- *ſcriptum à Mathia Shötte Dano, Elegia Gerhardi Paludani Liuoni- enſis, ad Reuerendiſsimos & Am- pliſsimos viros nobilitate Familiæ, ſapientia, virtute & eruditione ex- cellentes quib. Autor opus ſuum dedicauit.*

NAſcitur ad Patriæ tutandã quisq; ſalutem,
Qui nocet huic, minimè uiuere dignus e- rat.
Omnia ſed pariter cum non ſint omnibus apta,
Ex æquo cunctis nec data dona Dei:
Hoc tamen intentis conemur uiribus omnes,
Qua licet, ut patriam quisq; iuuemus, ope.
Ergo obeunt alij dum fortia prælia Martis,
Defenduntq; pia Danica regna manu:
Ingenti patriæ concuſſus amore Mathias,
Dum cupit hanc etiam forte iuuare ſua:
Nec tamen eſt duri fera promptus ad arma Gra- (diui,
Pieridum ſuetus mollia caſtra ſequi:
Prima ſuæ repetens exordia gentis, & ortus
Et cum mutatis ſedibus acta, canit.

Cumq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015

Cumq́; ſit à paucis ea res tentata, laboris
Obſcuris lucem reddere rebus, erat.
Vos igitur, tantis queis Dania gaudet alumnis,
O clari meritis & pietate uiri:
Huic ſtudio linguisq́; animisq́; fauere decebit,
Sumentes hilarè, quod dicat Autor opus:
Munus id exiguum eſt: ſed enim non maxima ſæ-
Sint data ſyncerè ſi modò dona, placent. (pe.
Cùm matura ſuis ætas adoleuerit annis.
Eius, & uberior poſtera meßis erit:
Tunc meliora dabit, mage cultaq́; ſcripta Ma-
Et patriæ condet plenius acta ſuæ. (thias,
Tunc etiam ueſtras percurrens ordine laudes,
Quo decet eloquio, uos ſuper aſtra feret.
Interea uobis Victoria læta triumphos
Augeat, & dempto ſopiat arma metu.
Ocia tranquillæ redeant fœlicia pacis,
Aruaq́; læta colat, pacis alumna, Ceres.
Perſtet & incolumis ueſtro Reſpublica ductu,
Salua ſit & ſaluo Dania Rege ſuo.

ΤΈΛΟΣ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)

3015.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3015 8° (LN 1486 8° copy 2)